

Franckesche Stiftungen zu Halle

Plvs, Qvam Ex Vtroqve

Vockerodt, Gottfried

Gothae, [1725?]

VD18 13075128

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)


Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

[urn:nbn:de:gbv:ha33-1-203094](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:gbv:ha33-1-203094)



130 B:5

44.

[43]

P L V S,

QVAM

EX

VTROQVE:

NON ARTE SOLVM, ET MARTE,
in curiis, foro, castris, praeliis, vallis defendendis, impugnandis;
sed piis etiam officiis, & choro rite tuendo,
legitimis sacrorum institutis conseruandis, ad posteros propagandis,
a doctrinae, morumque corruptelis vindicandis,
atque adeo in curriculo enitendi ad decus, & laudem solidam
boni principis, fortis militis, veri DEI cultoris,
gloriose spectari EVANGELICAM VERITATEM professos principes,
ac hoc pacto implere recte, & religiose imperantium munia omnia,
repraesentare tempora antiqua, & heroica, Dauidica, & Salomonea,
& rite aemulari celebrata veterum TRIMEGISTORVM exempla,
nouus docuit, verusque TRISMEGISTVS,
SERENISSIMVS, AC BEATISSIMVS PRINCEPS, ET DOMINVS,
ERNESTVS LVDOVICVS,
DVX SAXONIAE, IVLIAE, CLIVIAE, MONTIVM, ANGRIAE, ET WEST-
PHALIAE,
LANDGRAVIVS THVRINGIAE, MARCHIO MISNIAE, PRINCEPS COMES
HENNEBERGAE,
COMES MARCAE, ET RAVENSBERGAE, DYNASTAE IN RAVENSTEIN,
S. CAES. MAI. ET S. R. I. GENERALIS REI TORMENTARIAE PRAEFECTVS,
EQVES ORDINVM, AQVILAE BORVSSICAE, ET S. HVBERTI, FIDELITATIS AV-
TOR IPSE, ET FVNDATOR.

Qui, vt talis esse posset, & maior *ex vtroque celebrato Caesare,*
natus, educatus, & exercitatus est conuenientissime.
Scilicet *natus* Gothae, in arce Fridenstein, *ci* 1561, OCTOBR. VII.
patre BEATISSIMO BERNARDO III. matre MARIA HEDWIGE, LANDGR. HASS.
DARMST.

nactus est indolem SERENISSIMORVM parentum, & auorum,
ERNESTI III. GEORGII II.
principum vt nomine, & factis piorum, sapientium, benignorum, ita satis felicium,
nec non maiorum, paternorum, maternorumque,
principalis, ducalis, electoralis, regiae, & Caesareae dignitatis, & prosapiae:
inter quos IOANNES constantes, FRIDERICOS, ET PHILIPPOS magnanimos, LV-
DOVICOS fideles,

GEORGIOS pios pia veneratur posteritas.
NOSTER autem dum *educatur, excitatur, & exercitatur*
ad consecrandam insignitam tantorum maiorum gloriam,

ad aemulanda exempla domestica
 sapientiae, benignitatis, virtutis, fidei, pietatisque,
 ista explodere, vt praesentium, & pacatorum temporum ingenio, & moribus contraria,
 vel fastidire, vt aetati minus apta, & cupidini iuuenili infesta,
 vel horrere, vt fortunae, ad quam nasci contigit, inimica
 visus est nunquam;
 nec auditus est admodum puer refragari recta serio inculcantibus,
 siue parentibus, siue quibus ILLI prouidentissime mandauerunt operam vicariam,
 iuuentutis rectoribus, & magistris:
 inter quos honoris causa nominare licebit
 Krebsios, Bechmannos, Glumperos, & Hosfeldos,
 virosque nobilitatis Germanicae, & Gallicae non vltimae,
 Cronstadios, Schwartzenfelsios, Einfidelios, Hahnsteinios, Blumios, Boussinos:
 nec tacendi sunt equestris academiae Guelferbytanae professores,
 ad quos ipse SERENISSIMVS parens EVM deduxerat, ostenderatque,
 quanta stet cura paterna in principe indolis tam eximiae, & spei tantae?
 Inter haec cum adolefceret, noluit tamen spectari conscius, & compos sortis suae,
 quamuis esset, & suo ingenio, & arbitrio iure aliquid arrogare posse videretur.
 Sicut puer bona fide obnoxius, & obsequens fuerat
 SERENISSIMI PATRIS, huiusque coniugis alterius,
 SERENISSIMAE ELISABETHAE ELEONORAE, DVC. BRUNSVICENSIS:
 quae tempestiue EI in orbitatis solatium contigerat nullo iniustae nouercae indicio:
 auspiciis, autoritati, & nutui,
 ac vtrique voluptatem singularem dederat fruendam,
 cum prouidentissimae, & curatissimae educationis fructus,
 matura exculsi solidis religiosae pietatis tirociniis ingenii specimina,
 publice, & coram concione populari cum tanto applausu edidisset,
 vt, quod IPSE expetebat vehementer, vix ingressus decimum aetatis annum
 dignus, & idoneus iudicaretur, qui non prohiberetur a coena dominica;
 priuatim autem de lacris rebus sermones haberet, concionanti similis:
 praeterea non iniuitus gustauerat amaras studiorum radices,
 ad quarum mentionem vulgo principes offensionem, & fastidium habent,
 excutendo Romanae, Graecaeque linguae rationes interiores,
 & Teutonici non modo; sed & Latini carminis tentando facultatem,
 & ad hanc excitandam, prouehendamque
 conquirendo, atque ex veterum poetarum monumentis colligendo apparatus,
 nec non persequendo stylo Latiali vitas Romanorum imperatorum,
 suiue itineris in Belgium historiam, quo SERENISSIMIS PARENTIBVS sub XIII.
 aetatis annum comes iuit;

prae

prae his non negligendo tamen, quae sola principis personae apta vulgo censentur,
studia linguae Gallicanae, mathematicarum scientiarum,
orbis terrarum, & Romani imperii notitiae:
ita adolescens, cum rebus gerendis, veterum heroum exemplo,
par omnibus magis videretur, quam IPSE sibi,
tamen alieno tamen, quam suo ductu maluit accedere ad rerum actum;
cumque inolescere, & ingenii, doctrinaeque fiducia efferri posset,
maxime ex quo solida, & copiosa iuris ciuilis, publici, naturae, gentiumque,
nec non historiae sacrae, ciuilis, & militaris cognitione
confirmatum esset de rebus agendis iudicium,
consultius EI tamen visum est, paterna reuereri auspicia,
& huius auctoritate constitutis parere rectoribus,
quam suo vti consilio in adeundis itineribus, salutandis castris,
& suscipiendis, fungendisque praefecturis militaribus.

Admixta magnis ingeniis intemperies, copioso doctrinae apparatu vt plurimum effe-
rator,

& accedentibus maturis rerum successibus intolerabilis,
quo minus fraudi esset BEATISSIMO ERNESTO LEOPOLDO in tantilla aetate,
& principem adeo iuuenem raperet in-transuersum inter cumulata ornamenta,
quae matura virtus, & summorum procerum fauor EI conciliauerat;
obstitit tutissima animae medicina, & conseruandae bonae mentis
per omnes fortunae vicissitudines subsidium, exploratissimum,
assiduum, & impensum sanctioris litteraturae studium,
& diuinorum mysteriorum noscendorum, & experiendorum cura exacta, atque indefessa.
Documento sunt plura volumina, quae palatina bibliotheca Meiningensis ostentat,
BEATISSIMI PRINCIPIS manu de rebus sacris scripta,
partim ex sermonibus theologorum excepta, partim meditata, & concepta marte
proprio,
quorum particula fuit publicatum post fata IPSIVS sermonis funebris argumentum,

& sacer hymnus eidem adiectus:
cuius generis cogitata Teutonice, Latine, Gallice perscripta
sub nominis, & dignitatis IPSIVS primis litteris ibidem visuntur:
nec non hymni sacri alii, ab illius ingenio profecti,
decantati inter publica sacra anno cpo mccc xciii. & sequente,
atque inter exequias BEATISSIMI fratris BERNARDI:
tanquam supergresso domestica pietatis exempla
ad heroica, & antiquissima piorum principum tempora,
nudum explosa, vt a seculi praesentis moribus abhorrentia,

studia referenda fuissent, & aemulandus, exprimendusque esset David, & Salomo,
quos non piguit, puduitque, publica sacrorum solennia sua interpolare, & ornare opera,
atque hoc pacto sacra clericorum virorum non turbare, sed adiuuare ministeria.
Accendit religiosum PRINCIPIS iuuenis studium frequens cum theologis consuetudo,

quos ut internoscere, & secesnere vulgo cordi, ita voluptati ILLI erat audire,
summaeque curae audita referre ad studium bonae mentis,
prohibendae aequae ab inscitia rerum diuinarum, quam labe, & crimine.

Ab hoc studio frustra deterruisses optimum PRINCEPEM corruptis multitudinis iudiciis,
quibus pietas proscribitur ex aulis, sacrorum cura religatur ad infulas,
exactior diuinorum mysteriorum inuestigatio ad viros clericos, scholasticosque.

Aliter visum, prouisumque fuit NOSTRO:

ut dudum recte iudicatum est, tum demum beatas fore respublicas,
quando vel philosophi imperent, vel imperantes philosophentur:

ita ILLE aulas, principumque curias florere statuit,
vnde non exulent boni, cordatique theologi,

vel principes tales ipsi fuerint.

Certe non obfuisse BEATISSIMO ERNESTO LVDOVICO impensio rem

sacrae rei curam,

nec, quod infelix Neronis mater de philosophia falso credidit, imperaturo esse con-
trariam,

docuere tot ab EO auspiciatissimo suscepta, & felicissime administrata imperia,
mandatae ILLI certatim praefecturae militares, commendatae legiones pedestres, eque-
stresque,

successus consecuti versantem per XIV. annos in castris, praeliis, obsidionibus,

ad Nicrum, Rhenum, Mosam, Mosellam, Scaldim,

quos venerabunda suspexit Europa, admirabitur posteritas:

praemia maxima, honestatique militaris laboris, consilii, & industriae insignia illustra,

quibus PRINCEPS IUVENIS cumulatus est a summis IMPERII procubus,

ipsoque CAPITE AVGVSTISSIMO,

meruitque conferri inter ORDINVM ILLVSTRIVM equites:

quorum insignia REX BORVSSIAE, & ELECTOR PALATINVS,

atque hic cum singulari amoris, honorisque testificatione,

adhibito ad hoc negotium ILLVSTRISSIMO COMITE DE DIAMANSTEIN,

in illum sponte contulere:

maxime autem gubernatus per XVIII. annos paternus principatus,

auctusque, & amplificatus egregie legibus, & institutis salutaribus,

ornatus templis, palatiis, aedificiisque publicis,

ad patriæ vsum, & ciuilibus ordinis disciplinam, decusque pertinentibus:
nec non laudatissime impletus, cumulatque instrumentis cognitionis DEI,

& humanæ salutis,
publicatis exemplis sacrorum BIBLIORVM millibus sex,
CATECHISMI quatuordecim, B. Arndii HORTI PARADISIACI duobus,
CANTIONALIS decem millibus & centum,

CATECHISMI explicatioris quinque, PSALTERII Hedingeri sesquimille.
Nec temere statuit BEATISSIMVS PRINCEPS, quod adeo sibi profuerat ad regendum,
prodesse posse ad parendum, nec deesse debere populo obnoxio.

Qui cum omni applausu excepsisset PRINCIPALE hoc beneficium,
tulit uterque vel hunc singularem pietatis fructum,

duo videlicet auspiciatissima, & felicissima matrimonia non patriæ minus,

quam IPSIVS SERENISSIMO PATRI,
primum initum cum SERENISSIMA, ET BEATISSIMA DOROTHEA MARIA,
SERENISSIMI nostri PATRIS PATRIÆ sore:

unde soboles copiosa, & paternæ, auitæque virtutis acmula
SERENISSIMAM DOMVM, & patriam vniuersam ornat, & recreat:

alterum cum superstitæ SERENISSIMA ELISABETHA SOPHIA,
vidua SERENISSIMI MARCHIONIS BRANDENB. BARVTHENSIS,
PRINCIPE regiae Borussiae, & electoralis Brandenb. prosapiae dignitate com-

mendatæ,
commendatione autem indole, & omnium virtutum laude, quæ in illum sexum, & for-

tunam cadere possunt,
commendatissima affectu in BEATISSIMVM MARITVM, IN SOBOLEM EIVS SE-

RENISSIMAM,
in populum vniuersum,
vt vere non DOMVS SERENISSIMAE solum; sed totius patriæ MATER dici possit.

Cuius populi, nec non S. R. IMPERII cinium, procerumque si vota valuissent,
& per fata non irrita fuissent desideria,

viueret, floreretque SERENISSIMVS ERNESTVS LVDOVICVS,
& NOVEMBRIS DIES VIGESIMVS QVARTVS ANNI SVpra VIGESIMVM
QVARTI

seculi post decimum octauum fatalis potius fuisset barbaro cuicunque tyranno,

quam desideratissimo coniugi, & clementissimo PATRIÆ PATRI,
praecipuo SERENISSIMAE SAXONICAE DOMVS ornameto,

Germanicae securitatis, & libertatis tutori, & vindici,

pro quibus asserendis, & tuendis PRINCEPS adhuc IUVENIS gloriose est periclitatus,
corpusque obiecit non minus, quam legiones suas oppugnatoribus.

Quae

Quae iactura ut, quanta sit, intelligi posset,
sub luctuosissimas exequias datum est negotium
ILLVSTRIS GYMNASII GOTHANI CLASSIS SELECTAE
tribus auditoribus selectis
eodem pietatis officio prosequendi BEATISSIMI PATRIS manes,
quo superiore anno honestatus est FILIVS BEATISSIMVS,
& repraesentandi tres eius virtutes imperatorias coram ILLVSTRI panegyri.
Scilicet laudabit in BEATISSIME defuncto
primus, IOANNES AVGVSTVS WEITZ, GOTHANVS,
pacis artes, & gloriose praestita *boni principis* officia;
alter, HENRICVS ERNESTVS NICOLAI, GOTHANVS,
militarem virtutem, & prudentiam, quae *bonum* effecerant *militem*;
postremus, IOANNES MATTHIAS ROEMHILD, SALTZVNGENSIS,
religiosae pietatis studium, quod bonum CHRISTIANVM, & PRINCIPEM
sanctum praestare potuit:
singulique singulares BEATISSIMI PRINCIPIS virtutes, & laudes particulatim ex-
cutient,
quarum vix titulos summatim haec tabula potuit repraesentare.
Quod publicum pietatis officium dum exsere satagent pro viribus declamatores,
ut, quotquot SERENISSIMAE DOMVS SAXONICAE gloriae,
& exemplo virtutis, pietatisque fauent
praesto sint cras, post horam VII. in auditorio CLASSIS I.
qua par est, observantia rogantur

RECTORE,


GOTHOFREDO VOCKERODT.


P. P. cl. lccc xxv. APRILIS xv.

GOTHAE, litteris REYHERIANIS.

Quae iactura ut, quanta sit, intelligi posset,
sub luctuosissimas exequias datum est negotium
ILLVSTRIS GYMNASII GOTHANI CLASSIS SELECTAE
tribus auditoribus selectis
eodem pietatis officio prosequendi BEATISSIMI PATRIS manes,
quo superiore anno honestatus est FILIVS BEATISSIMVS,
& repraesentandi tres eius virtutes imperatorias coram ILLVSTRI panegyri.
Scilicet laudabit in BEATISSIME defuncto
primus, IOANNES AVGVSTVS WEITZ, GOTHANVS,
pacis artes, & gloriose praestita *boni principis* officia;
alter, HENRICVS ERNESTVS NICOLAI, GOTHANVS,
militarem virtutem, & prudentiam, quae *bonum* effecerant *militem*;
postremus, IOANNES MATTHIAS ROEMHILD, SALTZVNGENSIS,
religiosae pietatis studium, quod bonum CHRISTIANVM, & PRINCIPEM
sanctum praestare potuit:
singulique singulares BEATISSIMI PRINCIPIS virtutes, & laudes particulatim ex-
cutient,
quarum vix titulos summatim haec tabula potuit repraesentare.
Quod publicum pietatis officium dum exsere satagent pro viribus declamatores,
ut, quotquot SERENISSIMAE DOMVS SAXONICAE gloriae,
& exemplo virtutis, pietatisque fauent
praesto sint cras, post horam VII. in auditorio CLASSIS I.
qua par est, observantia rogantur

Quae





130 B.5

1118

